



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 142. Vtrum Anglus possit esse simul in pluribus locis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

ratus, & corpore, ac dimensione non indigens, potest se constituere in loco corporeo cuiuslibet figuræ, minori, & minori in infinitum, tum diuisibili, tum indiuisibili secundum omnem, vel aliquam tantum dimensionem, ac proinde potest se constituere etiam in puncto, linea, vel superficie. Licet autem Angelus sit in loco figurato, non figuratur, quia figura consistit in dimensionibus, quibus res intrinsecè figuratur: Angelus autem sicut caret omni dimensione, sic caret omni figura.

24. Ad 1. distinguo maiorem; nemo potest impedire proprietates ex sua natura naturaliter consequentes cum omnimoda determinatione, concedo; consequentes sine omnimoda determinatione, & cum aliqua indeterminatione, nego; distinguo eodem. Sicut Angelus est ex sua natura determinatus ad hoc, vt sit in loco per aliquam vicationem, sed non est determinatus ad hoc, vt sit in hoc loco per hanc vicationem, ideoque potest pro libito per motum localem constituere se in hoc, vel illo loco: sic est determinatus, vt sit in loco non excedente suam naturam limitatam, sed dummodo non excedat, est indifferens ad hoc, vt se constituat in loco maximo, & adæquato, vel minori, & minori in infinitum, ideoque potest se determinare ad existendum, vel in loco maximo, & adæquato, vel in loco minori, & minori in infinitum. Confirmatur exemplo animæ rationalis, quæ potest esse in corpore humano maiori, vel minori. Confirmatur rursus: nam exorcistæ sæpe suis exorcismis constringunt Angelos malos, qui vocantur dæmones, ad hoc, vt se contrahant ad vnam tantum partem exiguum corporis obfessi.

25. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Deus quia est vndique illimitatus, non solum habet omnes perfectiones, sed habet illas identificatas cum sua essentia, & est actus purus; sed immensitas, siue vicatio vndique infinita est perfectio; ergo Deus ita est immensus, vt immensitas identificetur cum essentia diuina, ac proinde Deus non est in potentia ad hoc, vt sit immensus, vel vibetur per vicationem minorem immensa. At Angelus cum sit limitatus, debet non vibari per vicationem immensam, & debet esse indifferens ad hoc, vt sit in hoc, vel in illo loco, in loco maiori, vel minori, proportionaliter, ac anima rationalis. Corpora cum careant voluntate, sicut mouentur naturaliter, non voluntariè, sic vibantur naturaliter: & quia natura determinat ad vnum, sunt determinata ad vicationem maximam, quam hic, & nunc habere possunt. Angeli è conuerso sicut mouentur voluntariè, sic vibantur voluntariè, & possunt se vibare vicatione maiori, vel minori, prout voluerint.

26. Ad 3. Causa voluntaria finitæ virtutis non potest voluntariè se determinare ad esse-

rum, qui excedat eius virtutem, ideoque non potest se determinare ad effectum maiorem, & maiorem in infinitum. At potest se determinare ad effectum minorem sua virtute, ideoque non repugnat, vt se determinet ad effectum minorem, & minorem in infinitum; ergo non est inconueniens, vt Angelus non possit se voluntariè determinare ad vicationem maiorem, & maiorem in infinitum, siquidem peruenitur ad aliquam, quæ excedat virtutem Angeli: possit autem se determinare ad vicationem minorem, & minorem in infinitum, quatum singulæ essent infra virtutem Angeli. Confirmatur: nam Angelus non potest se mouere motu velociori, & velociori in infinitum; at potest se mouere motu tardiori, & tardiori in infinitum; ergo à pari.

27. Ad 4. Nego antecedens, nimirum, quod ad se constituendum in loco minori, & minori, requiratur virtus maior, & maior: Sicut igitur ad se mouendum tardius, & tardius, non requiritur virtus maior, & maior, sic ad se constituendum in loco minori, & minori, non requiritur virtus maior, & maior. Ratio est, quia tanta virtus potest esse sufficiens ad suum maximum, & adæquatum effectum, nec non ad omnes effectus minores, & minores, prout agens voluntarium voluerit.

28. Ad 5. Nego sequelam. Vt enim dictum est num. 19. Angelus propter limitationem suæ virtutis non potest se determinare ad occupandum locum longiorem, & longiorem, etiam si talis locus, quia sit arctior, & arctior, non sit maior loco adæquato Angeli.

27. Ad 6. Respondeo, quod in mea sententia dantur puncta, superficies, & linea, vt dixi quæst. 42. Physicæ; ergo ex hoc capite non repugnat, vt Angelus se constituat in puncto, linea, vel superficie. Addo, quod ad hoc, vt Angelus sit in puncto, non requiritur, vt sit intra ambitum puncti, sed sufficit, vt sicut Angelus est indiuisibilis, sic penetratur cū solo puncto indiuisibili, & cum nullo alio penetratur.

QVÆSTIO EXLII.

Virum Angelus possit esse simul in pluribus locis?

S. Th. q. 52. art. 2.

1. **V**idetur Angelus naturaliter posse esse simul in pluribus locis. Tunc enim est in pluribus locis, quando ita est in vno loco, vt secundum idem simul sit in alio; sed Angelus ita est totus in vna parte spatij diuisibilis, vt sit etiam totus in alia parte eiusdem spatij; ergo &c.

2. Secundò si dicatur plura loca contigua constituere vnum locum, sicut plura membra

cor:

corpore constituant unum corpus, contra est, nam Angelus, qui modo est in loco continuo trium palmorum, potest desinere esse in palmo intermedio, & remanere in duobus palmis discontinuis: sed illi duo palmi cum supponantur discontinui, non constituent unum locum; ergo Angelus potest simul esse in duobus locis discontinuis, ac proinde non constituentibus unum locum.

3. Respondeo, quod cum sit de fide corpus, & animam Christi replicari in Eucharistia, ac existere in pluribus locis, certum est etiam Angelos posse supernaturaliter replicari, ac existere in pluribus locis, ut dictum est in Physica quæst. 28. Solum igitur queritur, utrum Angelus naturaliter possit se constituere in pluribus locis. In hac quæstione certum est, & omnes conveniunt, quod Angelus, dum est in vno loco adæquato, non potest naturaliter se constituere in alio loco, siue adæquato, siue inadæquato. Ratio est, quia cum vbicatio adæquata adæquet virtutem naturalem Angeli, dum Angelus habet vbicationem adæquatam, non potest habere aliam vbicationem neque adæquatam, neque inadæquatam: alioquin vbicatio, quæ supponitur adæquata, hoc est adæquans capacitatem naturalem Angeli, non esset adæquata, siquidem relinqueret Angelum capacem naturaliter alterius vbicationis. Queritur ergo, utrum Angelus naturaliter esse possit in pluribus locis inadæquatis?

4. Prima sententia Caietani in hunc art. Ferrariensis 3. contra gentes, cap. 68. docet Angelum naturaliter posse simul esse in pluribus locis inadæquatis etiam non contiguis, sed distantibus, quæ loca simul coniuncta, unum locum adæquatum non excedant. Addit Caietanus hoc solum fieri posse intra certam latitudinem, cuius mensuram ignoramus, & assignare non possumus, ne alioquin concedat Angelum eodem tempore posse esse in celo empyreo, & in terra.

5. Secunda sententia, quam Vasquez 1. p. qu. 190. cap. 3. num. 4. tribuit Alexandro 2. p. quæst. 32. memb. 3. Sancto Bonaventuræ in 2. distinct. 2. par. 2. quæst. 2. Aegidio, Argentinæ, Richardo, & alijs, docet Angelum non posse constitui in pluribus locis, hoc est in locis non contiguis, sed dissitis, etiam si loca non sint adæquata, vel simul coniuncta non excedant locum adæquatum, & sint intra latitudinem certam, quam totam Angelus posset occupare. Sequuntur hanc sententiam Suar. lib. 4. de angelis cap. 10. licet illam existimet solum probabilem, Vasquez disp. 190. cap. 3. alijque satis communiter, ac videtur esse opinio S. Th. qui art. 2. quæst. 52. nunquam concedit Angelum posse esse in pluribus locis simul, ac satis expresse id negat in resp. ad argumenta. Damascenus etiam satis expresse tradit hanc sententiam, dum lib. 2. de fide, cap. 3. de Angelis dicit: *Non possunt secundum idem hic, & illic esse, & operari; & paulò antè: Circumscripti sunt;*

nam cum sunt in celo, in terra non sunt, & in terram à Deo missi, non remanent in celo. Didymus etiam Alexandrinus dicit alienum esse ab Angelica natura, ut sit in locis distantibus. Nam Angelus, qui aderat Apostolo in Asia, non poterat simul adesse alijs in cæteris partibus mundi constitutis.

6. Tertia sententia Scoti in 2. dist. 2. qu. 7. Gabrielis in 2. dist. 2. qu. 2. artic. 3. dub. 3. docet rem esse dubiam, cum pro neutra parte possint afferri rationes efficaces.

7. Dicendum: Angeli naturaliter non possunt esse in pluribus locis discontinuis, ac distantibus, seu parum, seu multum distent.

Probat. Videtur enim lumine naturæ constare, quod ens debet esse in loco, & unum ens non potest esse in pluribus locis; sed unus Angelus est ens maximè unum, cum sit substantia indivisibilis: ergo unus Angelus non potest naturaliter esse in pluribus locis non constituentibus unum locum: sed loca eo ipso, quod non sint contigua, sed distent, seu parum, seu multum distent, non sunt unus locus, nec constituunt unum locum: ergo &c.

8. Probat. secundo: nam de Angelis debemus philosophari proportionaliter, ac philosophamur de anima rationali, nisi cum differentia Angeli ab anima contrarium suadet; sed anima rationalis indivisibilis potest quidem tota esse in toto loco corporis, & loci continui, & tota in singulis partibus corporis, & loci continui, at non potest esse in corporibus, & locis non contiguis, ac distantibus, etiam si parum distent; ergo idem dicendum de Angelis.

9. Probat. tertio: nam nullum ens potest agendo propagare suam actionem, nisi per loca contigua, ac proinde actio vel debet propagari, per medium, vel agens debet constituere unum in ratione agentis cum medio, & dixi in libro de generat. q. 35. ergo nullum ens potest quodammodo extendere suum esse à loco ad locum distantem, quin sit etiam in medio.

10. Ad 1. Argumentum probat solum Angelum posse simul esse in pluribus locis contiguis, ac proinde constituentibus unum locum, quod ultro concedimus; non autem probat esse posse in pluribus locis discontinuis, ac non constituentibus unum locum, quod negamus ex fundamentis allatis, ac præsertim ex paritate animæ rationalis.

11. Ad 2. nego maiorem. Sicut anima rationalis, si desinat esse in parte media corporis, non potest remanere simul unita duabus partibus extremis discontinuis; & sicut agens si desinat propagare actionem in medio, non potest propagare actionem ad partes extremas, sic Angelus si desinat esse in loco aliquo medio, non potest remanere in locis extremis distantibus. Eadem enim est ratio, & principia posita videntur esse transcendentia, & conuenire

H h h

nire

nire cuilibet enti tū corporeo, cum incorporeo.

12. Dices: corpus Christi in Eucharistia existit in hostia continua, & postquam diuisa est hostia, remanet in partibus hostiæ discontinuis, ac distantibus; ergo Angelus existens in vno loco adæquato potest etiam esse in duobus locis inadæquatis non excedentibus priorem locum adæquatum.

13. Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia corpus Christi existit in tota hostia, & in singulis eius partibus, non quia hostia est continua, sed quia est consecrata; sed partes post discontinuationem remanent consecratae: ergo. At Angelus existit naturaliter in toto loco adæquato, quia est vnus locus, & Angelus cum sit vnum ens, debet esse in loco vno: sed duo loca distantia, etiam si non excedant locum adæquatum Angelis, non sunt vnus locus; ergo.

QVAESTIO CXLIII.

Utrum plures Angeli possint esse simul in eodem loco?

Sanctus Thomas qu. 52. art. 3.

1. **V**identur plures Angeli posse simul esse in eodem loco. Primo enim plura corpora ideo non possunt esse simul in eodem loco, quia propter quantitatem sunt mutuò impenetrabilia, atque ita replent locum, ut se mutuò excludant ab eodem loco; sed Angeli non sunt quanti, ac proinde non sunt impenetrabiles, nec ita replent locum, ut mutuò se excludant ab eodem loco; ergo.

2. Secundò Angeli possunt esse, ac de facto sunt in eodem loco cum corporibus, & cum ijs penetrantur: ergo à fortiori potest vnus Angelus esse in eodem loco cum alio Angelo, cum eoque penetrari. Probatur antecedens: nam ut docet Aristoteles 4. Physic. t. 38. nullus locus est in mundo, qui non sit plenus corpore sensibili: alioquin in mundo daretur vacuum, hoc est locus non plenus corpore; sed Angeli sunt in aliquo loco mundi; ergo.

3. Tertiò Angelus potest naturaliter, & suis viribus esse in eodem loco cum anima rationali, & cum illa penetrari: ergo potest etiam vnus Angelus penetrari cum alio Angelo. Probatur antecedens: nam daemones de facto sunt in corporibus energumenum; sed anima rationalis est tota in toto, & tota in qualibet parte sui corporis, ut docet etiam Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 6. & epist. 18. ad Hieron. ergo daemones sunt in eodem loco, in quo est anima energumeni.

4. Quarto Luca 8. 30 dicitur: *Interrogauit illum Iesus, spiritum nimirum immundum, qui energumenum quemdam obsidebat, quod tibi nomen est? At ille dixit, legio, quia intrauerant demonia multa in eum; sed illi*

daemones erant in eodem loco, & mutuò penetrabantur: ergo plures daemones, siue mali Angeli possunt esse in eodem loco, & inuicem penetrari.

5. Quinto rationes, quibus aliqui, ac praesertim Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, Richardus, & Aegidius probant plures Angelos non posse esse simul in eodem loco, sunt facile solubiles; ergo. Probatur antecedens, afferendo tales rationes, easque soluendo. Ratio allata à Sancto Thoma 1. p. q. 52. art. 3. est: non possunt duae causae completae, & totales causare simul eundem effectum: sed Angeli sunt in loco per operationem, per quam perfectè, & adæquatè continent locum; ergo non possunt plures Angeli simul esse in eodem loco. Hæc ratio etiam transmittendo, quod Angelus sit in loco per operationem, non concludit. Nam sicut duo, quorum singuli possent se solis eleuare idem pondus, possunt ita attemperare suum cōcursum, ut simul eleuent; sic duo Angeli, quorum singuli per suam operationem possunt adæquatè continere eundem locum corporeum, possunt ita attemperare suum cōcursum, ut simul contineant, ac simul sint in eodem loco.

6. Ratio allata à Sancto Bonaventura in 2. dist. 2. par. 2. art. 2. qu. 4. est, quia ordo vniuersi postulat, ut Angeli sint in locis diuersis: esset enim magna confusio, si plures Angeli essent in eodem loco. Neque hæc ratio concludit. Nam Angeli non exigunt ordinari secundum locum, & situm, qui ordo videtur proprius corporum, sed secundum suas naturas, & species, & secundum hoc, quod inferiores illuminentur à superioribus, ut docet Dion. lib. de Caest. Hierarch.

7. Ratio allata à Richardo in 1. dist. 37. art. 2. quæst. 4. est, quia si plures Angeli essent in eodem loco, se mutuò penetrarent: sed repugnat, ut plures Angeli se mutuò penetrarent; ergo. Hæc ratio potius probat oppositum; siquidem cum corpora sint impenetrabilia ratione quantitatis, videntur Angeli esse penetrabiles, cum careant quantitate.

8. Ratio allata ab Aegidio in 1. dist. 37. p. 2. art. 1. qu. 3. est. Plura, quæ eodem modo comparantur cum vno, non possunt simul in eo esse; e. g. plures formæ non possunt esse in eadem materia, quia eodem pacto comparantur cum materia: sed plures Angeli eodem modo comparantur cum loco corporeo; ergo plures Angeli non possunt simul esse in eodem loco corporeo; licet anima, & Angelus possint esse simul in eodem corpore energumeni, quia anima est tali corpore per modum formæ, Angelus non est per modum formæ. Sed neque hæc ratio concludit. Maior enim non videtur vniuersaliter esse vera, ac dici potest, quod licet plures Angeli sint in loco per modum mouentis, & sic eodem modo, tamen sunt in eodem loco per modum duorum mouentium partialium: quod non repugnat.

9. Ref.